

Nobilissimi, Clarissimi & Doctissimi Viri Iuvenis
 Dn. IOHANNIS FRIDRICI Notarii
 Cancell: Reg: Maj: Polon.

Conscripta à

IOHANNE DOLMANNO, scholæ patriz discipulo.



VB cælo æternum nihil est, durabile nil est,
 In solido sita sunt gaudia nulla loco.
 Turbine præpropere vertuntur cuncta, nec ullum
 Pendet ab immoto cardine semper opus.
 Nunc pallens gravidis vestit vineta racemis
 Autumnus, sævit mox glacialis hyems.
 Nunc mare caruleum nautis se præbet amicum,
 Nunc quassat laceram vasta procella ratem.
 Nunc quoq; mutantur vasta telluris honores,
 Et sol nunc tristis, nunc quoq; lætus adest.
 Casus ubiq; furit, non rebus parcit hic ullis,
 In cunctas profert & sua regna plagas.
 Promovet imperium lævis accinctus habenis,
 Extenditq; suas in genus omne manus.
 Nemo tam sapiens, nemo tam nobilis unquam,
 Nemo tam fortis tamq; beatus erit.
 Legibus exemptus fati qui forsitan avari
 A prima mundi conditione foret.
 O sortem crudelem hominum, vitamq; misellam,
 Quam dura nati conditione sumus?
 His sumus in lucem suscepti legibus omnes,
 Ut post nos alius demus in orbe locum.
 Nec Casar, nec Rex, nec Princeps, siquis & illis
 Altior, hoc ævum ducere in orbe potest.
 Fata manent omnes, dura lex aspera mortis
 Debita natura solvere quemq; jubet.
 Idq; docent IANI Fridrici fata suprema,
 Cujus jam gelidâ membra teguntur humo.
 Etsi erat hic prudens, summa & pietate coruscus,
 Atropos exemptus non tamen ore fuit.
 Quamvis ver placidum ætatis, roseamq; juventam
 Spirabat, tamen is morte vorace obiit.
 Vivit adhuc quamvis victus crudelibus umbris,
 Vivit & æterna fenora lucis habet.
 Nullus ubi terret rapidis hunc nubibus Auster,
 Quiq; ciet præceps flamina sæva Notus.
 Æstus ubi nullus, putredo nulla, nec ignis,
 Corporis aut tabes, aut male sana febrî.
 Quorum ergo vehemens planctus præcordia stringit
 Dilecti ob nati funera, uterq; parens.
 Ferte modum lachrymis: Mors hæc reparatio vita est,
 Fœnus inest damno, pro nece vita datur.